



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 22. Eadem consultatio a summo Pontifice damnata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Sæc. XVIII. *hi Advocati Embrodunensem Synodum te-*
A. C. 1727 *merarie, & injuste aggressi fuerint, non*
sine præjudicio auctoritatis Regiæ, & re-
verentiæ pluribus Episcopis, ac Pontifici
debitæ. Hoc judicium viginti sex par-
tim Cardinales, partim Archiepiscopi
aut Episcopi, præter alios quinque
paulopost Infulis decoratos suo chiro-
grapho firmarunt: Rex vero die tertia
Julii eodem anno ipsam Consultatio-
nem promeritis censuris perstrictam
publico Senatus sui edicto suppressit:
Hujus quoque exemplo animati ceteri
Præsules idem quoque scriptum, di-
vulgatis epistolis Pastoralibus pro-
scripsere.

§. XXII.

Eadem Consultatio a summo Pontifice
damnata.

Haud levi dolore Pontificis animum
 affecerat Advocatorum Parisien-
 sium petulantia, qua Synodi Aposto-
 lica approbatione firmatæ auctoritatem
 infringere, & desperatæ causæ patro-
 cinium in se suscipere moliebantur.
 Hanc ob rem eorum consultationem
 sancti Officii Patribus discutiendam
 tradidit, ad quorum relationem ipse
 die nona Junii Constitutionem edidit,
 in qua hoc scriptum ejusque Auctores
 diris

diris devovit. „Nuper, ait Pontifex, Sæc. XVIII.
 „ad Apostolatus nostri notitiam, non A. C. 1727.
 „sine maximo nostri animi dolore, per-
 „venit, Laicos quosdam simulantes
 „loqui pacem, & veritatem cum pro-
 „ximo suo, mala autem in cordibus
 „suis cogitantes, ut incautos in erro-
 „rem inducant, juxta iter scandalum
 „fidelibus posuisse, atque ea, quæ fidei
 „certa sunt, in controversiam vocare,
 „Ecclesiastica judicia nedum retractare,
 „sed etiam subvertere, & cum Oves
 „sint, Pastores ipsos ducere, & redar-
 „guere præsumentes, folia quædam
 „æternæ salutis immemores, evulgasse,
 „typis Gallico idiomate edita absque
 „tempore, ac loco impressionis, &
 „nomine impressoris, quorum titulus:
*Consultation des Messieurs les Avocats du
 Parlement de Paris au sujet du Jugement
 rendu a Ambrum contre Monsieur l'Eve-
 que de Senex.*

Hinc est, quod Nos pro com-
 „missa Nobis Divinitus Gregis Domini
 „cura, animarum periculis, atque de-
 „trimentis, quæ ex præfatorum folio-
 „rum lectione, & usu provenire pos-
 „sent, Pastoralis vigilantia, ac sollici-
 „tudine quantum in Domino possumus
 „occurrere volentes: de non nullorum
 „Venerabilium Fratrum nostrorum
 „S. R. E. Cardinalium consilio, ac e-
 „tiam

Sæc. XVIII. „tiam motu proprio, & ex certa scien-
 A. C. 1727. „tia, & matura deliberatione nostris,
 „deque Apostolicæ potestatis plenitu-
 „dine folia prædicta, utpote continen-
 „tia propositiones scandalosæ, Apo-
 „stolicæ Sedis, & Episcoporum aucto-
 „ritati contrarias, & injuriosas, atque
 „hæresi faventes, necnon schismati-
 „cas respectivæ, & hæreticas, suo su-
 „pra expresso, aliove quocumque ti-
 „tulo, & idiomate, seu quavis edi-
 „tione, & versione ubicumque hacte-
 „nus typis impressa, ac etiam manu
 „scripta, aut (quod absit) deinceps
 „imprimenda, & describenda, tenore
 „præsentium damnamus, reprobamus,
 „ac legi, & retineri prohibemus, illo-
 „rumque impressionem, descriptionem,
 „lectionem, retentionem, & usum om-
 „nibus, & singulis Christifidelibus e-
 „tiam specifica, & individua mentio-
 „ne, & expressione dignis sub pœna
 „excommunicationis per contrafacien-
 „tes ipso facto, absque alia declara-
 „tione incurrenda, a qua nemo, a quo-
 „quam præterquam a Nobis, seu Ro-
 „mano Pontifice pro tempore existente,
 „nisi in mortis Articulo constitutus,
 „absolutionis beneficium valeat obtinere
 „omnino interdiciamus.

Volentes, & auctoritate Aposto-
 „lica mandantes, ut quicumque folia
 „hu-

„hujusmodi penes se habuerint, illa Sæc. XVIII.
 „statim, atque præsentēs literæ eis A. C. 1727.
 „innotuerint, locorum Ordinariis, vel
 „hæreticæ pravitatis inquisitoribus tra-
 „dere atque consignare teneantur. Hi
 „vero ea sibi sic tradita illico flammis
 „aboleri curent.,,

Præter hanc Advocatorum Consul-
 tationem idem Pontifex die secunda
 & decima septima Septembris duo alia
 scripta speciali S. Inquisitionis decreto
 damnari, & Indici librorum prohibi-
 torum inferi jussit. Horum primum
 præfere hunc titulum: *Relatio eorum,*
quæ circa Regis declarationem die 4. Au-
gusti 1720. factam quoad conciliationem
Episcoporum in Rothomagensi Parlamento
acta fuere. Alterum vero ita inscribi-
tur: Relatio eorum, quæ tam Romæ,
quam ex parte Cardinalis Noaillii in nego-
tio Constitutionis a tempore electi Bene-
dicti XIII. Papæ gesta fuerunt.

§. XXIII.

*Diversorum Regularium fata ob
 Constitutionem Unigenitus.*

Quanto studio San Marthanus supre- Vid. supra
 mus Præpositus Congregationis l. 221. p. 219.
 Benedictinæ S. Mauri Constitutionem tom. 71.
Unigenitus a suis acceptari, ad labora-
 rit, jam supra meminimus; cum vero
 non-